



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Praeposito, Decan. & Cap. Cameracen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

nus observatam, per se vel nuncium suum auctoritate nostra cum tuo consilio valeat relaxare. Vnde nihilominus volumus & mandamus ut prædictum Episcopum non impedias quominus secundum prædictam formam per se vel nuncium suum dioecesim Ovetensem absolvar. Datum ut supra.

TERRACONEN. ARCHIEPISC.

Epist. 126.
Ne intra septennium proxime vacatura beneficia conferantur, sed redditus convertantur in usus creditorum.

Imminet nobis ex susceptæ administrationis officio ut Ecclesiarum profectibus taliter intendere debeamus, quod ipsi in statu debito persistentes, salubribus proficere valeant institutis. Sanè ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod Ecclesia tibi commissa propter beneficia tam mansionariis quam non mansionariis assignata, cum ipsius redditus ad hoc sufficere non valeant, iam ferè ad nihilum est redacta. Volentes igitur ejusdem Ecclesiæ profectibus paterna sollicitudine providere, fraternitati tuæ per apost. scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vera sunt quæ dicuntur, de possessionibus ad mensam tuam pertinentibus infra septennium nulli beneficium de novo assignes, nisi necessitas vel Ecclesiæ utilitas postulaverit, ut per hoc saltem respirare valeat ab onere debitorum. Datum Romæ apud S. Petrum v. Kalend. Maij.

PRÆPOSITO, DECAN.
& Cap. Cameracen.

Epist. 117.
Ut à decessore suo & à se institutum recipiant in Canonicum.
Cap. Proposuit.
De concessione præbende.

Proposuit nobis dilectus filius Theobaldus Presbyter, quod cum bonæ mem. Celestinus Papa prædecessor noster post preces, quas vobis pro receptione ipsius in fratrem & assignatione præbendæ ad donationem vestram spectantis in Ecclesia vestra proximò vacaturæ eidem faciendæ porrexerat, mandatum vobis apostolicum destinasset, & bonæ mem. Decanum Remen. executorem concessisset eidem, Decanus ipse vos in executione mandati apostolici contumaces inveniens & rebelles, ipsum de præbenda primò vacatura in Ecclesia vestra, quæ ad donationem Capituli pertineret, auctoritate apostolica investivit, vobis præcipiens ut eum in Canonicum recipientes & fratrem, ipsi stallum in choro & locum in Capitulo conferretis; Ecclesiarum vobis introitu interdicto, si quod mandabat differretis infra triiduum adimplere. Vos autem nec man-

datum ejus exequi voluistis, nec ab Ecclesiarum cessatis ingressu, immo potiùs in elusionem mandati apostolici, causa diffugij ad eundem Decanum appellatis; & cum ipse Decanus morte præventus in negotio ipso ulterius non potuisset procedere, & præbenda, quæ ad donationem vestram spectabat, in Ecclesia Cameracen. vacasset, eam alij assignastis, in eundem Presbyterum excommunicationis sententiam promulgantes, quia literas ejusdem Decani sibi in testimonium reservavit. Cum autem propter hoc idem Presbyter ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam accessisset, sicut ex literis ejus nobis innotuit, ipse quod ab eodem Decano factum fuerat, ratum volens haberi, collationem præbendæ factam à vobis penitus irritavit, & eundem Presbyterum ab excommunicationis vinculo absolutum de ipsa manu propria per anulum investivit. Licet autem intentionis nostræ non sit investituras de vacaturis factas, contra canonum instituta ratas habere, qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus * supra jus dispensare; attendentes tamen quod idem Presbyter non de vacatura, sed de vacante per prædecessorem nostrum fuerat investitus, utpote quæ post cassationem concessionis à vobis factæ intelligebatur vacare, discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus amoto ab eadem præbenda quolibet detentore, eam ipsi T. omni dilatione, excusatione, & app. postpositis conferatis, & permittatis ab ipso pacificè possideri, ei stallum in choro & locum in Capitulo cum plenitudine honoris canonici assignantes. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Cathalanensi Episcopo dedisse firmiter in mandatis ut ipse id auctoritate apost. exequatur; contradictores eccle. censura cessante appellatione percellens, si vos super executione mandati nostri desides fueritis, vel remissi. Nos enim sicut nolumus injusta præcipere, sic in justis præceptis nolumus pati repulsam, qui prompti sumus omnem inobedientiam secundum apost. verbum ulcisci. Nullis literis &c. harum tenore tacito &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

In eundem ferè modum Cathalanensi Episcopo.

M.A.

**In Tertio Collet. legitur, super his.*